

Nec magis improbitas vitiis nos praegravat, audax
 Quod fur est Verres, homicida Cethagus, adulter
 Clodius, expilatque Deum quod fana Sacerdos,
 Quam quia, non alias ullo utinquam crassior aevo, 25
 Stultitia incubuit domitum bacchata per orbem,
 Pinguaque ignavo diffudit regna veterno.

Hinc incerta animis vertigo, nullus honesti
 Sensus, nec pravi, atque acies lentissima mentis,
 Ut vix judicio dicas distare ferino. 30

Quod si stultitia errat non sanabile vulgus,
 Tanto tene putas errori posse mederi,
 Si gravia incessas scelerum probrosaque monstra,
 Singulaque exutiens percurras, et reprehendas
 Ariter, et latres, et clamando ilia rumpas? 55

Hoc tu non plus proficias sermone, juvesque,
 Quam si fors caeco palantem errore viarum
 Deprendas noctu hac illac discurrere turbam,
 Et magna horteris moneasque capessere veram
 Voce viam, sua si cupiant ad tecta reverti, 40

Nec tamen accensa dispellas lampade noctem.
 Nempe sinistrorum praeceps hic, alter abibit
 Dextrorum: hic nequeat plantas evellere coeno:
 Incidit in fossam hic: rapit illum vortice flumen.

Quippe mali fuerant tenebrae causa. Ergo age missâ 45
 Cum vitiis pugnâ, ad causas accede malorum,
 Si prodesse voles, et stultitiam pete telo,
 Et caput Herculeo ritu septemplicis hydrae
 Dejice, non longae fer vulnus inutile caudae.
 Hoc Satyras tentare, tibique inscribere librum 50